

*DISPV TATI O PHYSICA* 34 798.

DE  
**PRIMO**  
**CREATIONIS**  
**OPERE,**

*QVAM*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
**DN. FRIDERICO AVGVSTO,**  
PRINCIP E REGIO ET ELECT. SAX. HAERDE  
&c. &c. &c.

*INDVLTV*  
*AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILO-*  
*SOPHICAE*

IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA  
*AD DIEM V. SEPTEMBR. ANNO 1558.*

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
*PRAESES*

**M. PAVLVS** & Gottlich **HOFMANNVS,**  
TORG A. SAXO,  
RESPONDENTE

GEORGIO ANDREA HERMANNO, Torgav.  
PHILOSOPH. AC J. U. STVD.

---

VITEMBERGAE LITERIS MEYERIANIS.

VIRO  
MAGNIFICO EXCELLENTISSIMO QVE  
DOMINO  
**CASPAR HEINRICO**  
**HORNIO,**

JCTO DOCTOR. ET ANTECESSORE LONGE CELE-  
BERRIMO, POTENTISSL. REG. ET ELECT. SAX. IN SVM-  
MO PROVOCATIONVM SENATV CONSILIARIO SPLENDI-  
DISSIMO, CVRIA ELECT. CONSISTORII ET SCABINA-  
TVS, VT ET JUDICII PROVINCIALIS IN INFERIORI  
LVSATIA ASSESSORI GRAVISSIMO,

**MOECENATI SVO AC PATRONO, SANCTE**  
**VENERANDO.**

NEC NON

VIRO  
NOBILISSIMO AMPLISSIMO CONSULTISSIMO QVE  
DOMINO  
**GEORG. ANDREA CONRADI,**


QVAESTVRAE DRESDENSIS PRAEFECTO  
SVMMO.

DOMINO SVO AVNCVLO, STVDIORVM QVE AMPLIFICATORI  
SVMMA OBSERVANTIA COLENDO.

DISSERTATIONEM PRAESENTEM  
EA QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE  
OFFERT,  
RESPONDENS.



## PROOEMIVM.



rimum specimen Academi-  
cum praesidendo VVittenber-  
gae editum hocce cum esse  
debeat, studio ejusmodi ma-  
teriam pertractandam elige-  
re uolui, quae nomen τὸ pri-  
mi in titulo dissertationis hu-  
jus non respueret. Ex physicis  
autem cum mihi demanda-  
tum sit, materiam ex cathedra Philosophica defenden-  
dam ut sumam, primum creationis opus, quod in crea-  
tis principiis aethere & terra, quatenus ea summus ille  
Philosophus Moses in versiculo I. capituli I. Geneseos ex-  
hibet, consistit, pro modulo virium mearum excuti-  
am. Deus autem adsit instituto, ut sub moderamine  
eius benignissimo fine illud adipiscatur felicissimum.

### §. I.

Aether itaque & terra sunt, quae primum crea-  
tionis opus appellamus, & hoc quidem ductu ipsius  
Mosis. Hic enim breuissimam, sed accuratam tamen  
totius creationis delineationem nobis exhibens, a prin-  
cipiis

principiis incipit, & materiam, ex qua sequentia producta sunt, generali propositione in his uerbis: *In principio creavit Deus coelum & terram, ante omnia exhibet.*

§. II.

Creata uero cur haec dicantur, ratio quoque facile subest. Quia materiam facere, quae prius nuncquam fuit, est re ipsa creare.

§. III.

Hunc jam creatum aetherem & terram pro principiis rerum naturalium uenditamus, hoc tamen cum discriminé, ut ea non constitutionis, sed fiendi & generationis principia esse intelligamus; & quidem hac ratione ducti, quod requisitis principiorum haec binā maxime gaudeant. Nam est illud maximum formale principii Physici, ut nihil illo prius sit, & ut tandem corpora ultimato in id resoluantur; Jam aether et terra omnibus aliis creaturis priora exstiterunt, & corpora omnia in haec duo tandem per resolutionem naturalem resoluuntur.

§. IV.

Notanter dico, per resolutionem naturalem, nam dum Chymici suum sal, sulphur & mercurium pro principiis agnoscunt, & propterea illud principii formale hisce quoque adscribere saragunt, maxime errant. Quae enim ipsi ui ignis producunt, non resolutioni naturali, quae tamen hic necessario requiritur, sed artificialia describenda sunt.

§. V.

§. V.

Neminem autem negaturum puto, aetherem & terram prius aliis creaturis existisse, hinc posterius tantummodo demonstrandum erit, corpora nempe singula in haec tandem resoluti. Fieri hoc, quotidiana docet experientia. Sumamus quoefo exempla ex tripli illo Physicorum regno, & ecce, res euadet clara. Brutum dum moritur, spiritus ejus seu calor, quem aetherem ego appello, è corpore transit, sed quorsum, euaneſcitne? minime, sed uadit ad suum simile, & coniuitur cum aethere circa orbem terraqueum existente; cadauer interim putreficit, putridum tandem in puluerem seu terram resoluitur. Arbor absisa putreficit, putrida in minutissimas collabitur particulas, quid tandem, resoluuntur in id, ex quo arbor producita, scilicet in terram. Sic etiam in regno minerali res cedir, e. gr. ferrum, metallum hocce dum rubigine obducitur, tandem per aliquod tempus conteritur, concretum quid tandem est, nonne terra? & sic cum omnibus corporibus.

§. VI.

Ast objici potest in contrarium, aquam uitro hermetice sigilato inclusam per multos annos huic inclusam existere, nec tamen resoluti in terram. Sed facile ad hoc est respondendum. Nimurum requisitum principii esse, corpora in terram resoluti percunte priori corporis existentia, jam uero aquae uitro hermetice sigillato existentia tum temporis nondum periit, sed reuera-

A 3

existit,

existit, quare nec resolui adhuc potest in particulas terreas,

§. VI.

Sed jam ad ipsam tum aetheris tum terrae substantiam procedamus. Antequam autem hoc fiat, ostendendae erunt rationes, quibus nixi statuamus, quod Moses per coelum aetherem intelligat. Istarum autem prior haec est; Materia apta adesse debuit, cui globus terraqueus insideret, hinc & primo loco Deum creasse coelum, Moses ponit, jam functioni huic nihil aptius ipso aethere, cum is sit figurae tenuissimae, sphaericae & leuigatae, non solum per uniuersum mundum se diffundens, sed incredibili quoque celeritate circa terram fluens. Posterior autem in eo consistit, quod Moses uocabulo coeli ~~et~~ emphaticum praeposuerit, quo sine dubio ipse digito quasi ostendit, quale coelum Deum creasse hic intelligatur, nimirum ejusmodi, ex quo lux & sidera coelestia confici possent, quod tandem etiam factum esse uersus 3. *Et 14. Gen. cap. 1.* satis testantur; ast haec omnia ex aethere tanquam substantia ignea quam optime confici, quis negabit? hinc omnino aethereum hic Moses intelligit coelum. Nam expansionem, quae sequenti uersiculog. hujos capitis coelum quoque appellatur, Mosen superius uersiculo 1. non indigitasse constat, cum haec non prima, sed secunda demum die producta sit,

§. VII.

S. VII.

Diuersa itaque mihi in hac re<sup>e</sup>, ut aliorum jam opiniones, angelos Mosen per coelum hic exposuisse, non attingam, sententia doctissimi alias *Edm. Dickinsoni Med. Doctoris*, qui in Physica sua ueteri & uera p. 64. §. 3. coelos & terram prouina materia agnoscit, putatque, Mosen dictione conjugata, prout Hebraei saepius solent, materiam illam primam solum exhibuisse. Sed falsum hoc esse, sequensratio ostendit. Nam licet illud equidem uerum sit, copulatum non semper distinguere illud, cui praefigitur, ab eo, quod antecessit, tanquam diuersum, sed saepe praefigi istis hemistichis, quibus idem repetitur aliis uerbis, quod Philologorum celeberrimus *Glossus in Philologia sua sacra & quidem in libr. IV. appendicis Grammaticae S. tract. 1.* de uocularum praefixarum signific. p. m. 1187. satis superque ex uersiculo 5. Psalm. VIII. ostendit, ubi David וְאַתָּה שׁוֹרֵן וְאַתָּה שׁוֹרֵן illo copulatio conjungit, & tamen non diuersum quid, sed unum intelligit, nimirum Christum Θεόν θρωπόν. Ast alia hic est ratio: Nam שׁוֹרֵן hominem & שׁוֹרֵן etiam hominem in scripturis significare scimus, itaque uoces hae seorsim unum significantes, etiam conjunctae idem significare possunt. שׁוֹרֵן uero seorsim sumtum nunquam in scriptura terram illam primam denotat, qua propter etiam per i. cum שׁוֹרֵן copulatum cum hoc pro uno stare non potest.

S. VIII.

§. VIII.

Acedit & illud, quod Moses, nisi diuersa quae-dam hisce duobus uocabulis significasset, par ratione & illam primam terram & aquam & aerem appellare potuisset, ratio, quia haec ambo in prima terra quoque latuere. Denique species generi suo non possunt opponi, jam uero aether juxta mentem autoris hujus in prima materialitans est species primae materiae, tan-quam generis sui, ergo aether primae materiae non potest opponi, quod autem a Mose in uers. i. cap. I. Gen. opponatur, in praecedenti paragrapho ostensum est.

§. IX.

Addo & hanc rationem: Moses cum in uers. i. hujus capituli principia prima, ex quibus omnia produci debebant, nobis publicarit, certe per coelum & terram non unum, sed diuersa principia tradere uoluit, ut ex mistis istis principiis creaturae possint produci, quod fieri ex uno principio non potuit.

§. X.

Ast obstaculum uidetur adhuc illud superesse, quo minus in uersiculo primo cap. i. Gen. per coelum aether intelligatur. Nimirum in uersiculo sequenti se-cundo extare Datinum illud mandatum, fiat lux, quam lucem plerique per aetherem interpretentur. Sed illud meam non ferit sententiam, nam quid est lux? est ignea substantia, quid est ignea substantia? est aether. Quod autem Deus demum post creatum

jam

jam aetheris substantiam aetherem lucere jubeat,  
 exinde factum, quia aether *in uersu 1.* exhibitus  
 maxime ob suum motum celerrimum ac libe-  
 rum circa orbem terraqueum dispersus erat, ob  
 quam dispersionem particularum suarum lucere  
 non potuit, cum ad lucem pertineat concentratio  
 particularum aetherearum, iussu autem Dei fiat lux,  
 dispersae alias particulae aethereae circa totum or-  
 bem terraqueum concentratae tandem erant in u-  
 num hemisphaerium, quod ab his concentratis  
 particulis illuminabatur, & illuminatio haec diem  
 primum estfecit.

§. XII.

Quid autem est jam aether? Aether est corpus  
 naturale substantiae igneae immediate a Deo ex  
 nihilo creatum, & sub nomine coeli tanquam prin-  
 cipium aliquod primum & quidem actiuum circa  
 totum orbem terraqueum dispersum, cuius pars  
 non exigua concentrata nomen lucis accepit, nunc  
 uero sub radiorum solarium forma globum terra-  
 queum diversimode irradiat, & corpora reliqua o-  
 mnia suo influxu conseruat. Reliqua circa globum  
 terraqueum aereum suo proprio motu circumuo-  
 ditur.

§. XIII.

Plura de aethere qui scire desiderar, adeat Phy-  
 sicos

B.

ficos

ficos & Mathematicos, ubi de coelo huiusque natura  
disputant. Nos angustis hisce pagellis plura hac de-  
re non inferemus. Verum potius ad alterum  
principium ad materiam scilicet primam progredi-  
endum.

§. XIV.

Quid autem jam est principium illud poste-  
rius a Mose *Gen cap. I. v. I.* per τὸν οὐρανὸν expositum?  
est materia quaedam ex particulis variis generis con-  
stans, inanis, tenebris obducta, indisposita, ac im-  
mota, tandem uero post separationem aquae arida  
existens, & omnibus corporibus grauitatem & con-  
sistentiam largiens.

§. XV.

τὸν οὐρανὸν materiam esse dixi, non materiam illam  
primam Aristotelicam aut Peripatetico-Scholasti-  
cam, quae neque quid, neque quale, id est, uere  
nihil est, & non Ens actu, sed talem, quae reuera ex-  
istit, & ex qua unumquodque fit, & in quam, ubi  
corrumpitur, iterum resoluitur.

§. XVI.

Haec uero ex multitudine particularum varia-  
rum constabat, ut pote ex particulis limosis, salinis,  
ful-

87

sulphureis, aqueis &c: minime enim cum Helmontio statuendum, ex aqueis tantum constituisse. Nam nunquam legimus, in Scriptura Sacra aquam solam per nomen terrae exprimi, quanquam uice uersa materiam creationis primam heterogenearum & diuersarum partium miscellam Moses *Gen. cap. 1.* v. 2. terram appelle. Unde merito concludendum uidetur, terram illam aut materiam e solis & puris particulis aqueis minime constitisse.

S. XVII.

De hac porro terra memorat Moses, quod fuerit inanis & uana, seu ut ipse loquitur תְהִזְכֵּר. Quare dubium nullum est, quin per eam id ipsum intelligendum sit, quod *juxta Etm. Dickinsonum p. 231.* non tantum Graeci, uerum & Aegyptii, Phoenices, Arabes, omnesque vetustissimi sapientes per chaos suum intellexerunt, scilicet informem istam confusamque molem materiae, quae fuit principium, atque ueluti semen omnium. Moses conjungit ejusmodi uocabula, quae seorsim sumpta unam rem quoque exprimunt, ad majorem horribilis hujus uastitatis & confusionis significationem. Ita ut terra haec inanis, horrida, omnino expers fuerit ejus, quam nunc habet, formae, elegantiae & ornatus.

B 2

S. XVIII

§. XVIII.

Cur Deus materiam hanc primam initio ua-  
stam & inanem condidit, ac tandem eam uenustare  
uoluit, cum totum universum absolutissimum uno  
momento creare potuisse? Responsonis loco  
Chrysostomi uerba ad fidem & pietatem pertinen-  
tia (*ut cum Danide Pareo commentatore in Ge-  
nesin loquar*) hoc loco inseruant, quoniam, in-  
quit, *terra est nutrix & mater nostra, & ex ea*  
*facti sumus, & educamur, ipsaque nostra pa-  
tria est, & commune sepulchrum, (reditus e-  
nim noster ad eam est,) & innumeris per eam*  
*bonis fruimur: ideo ut ne homines ob usus neces-  
sitatem plus, quam dignum est, uenerentur,*  
*Moses ostendit primum eam rudem & absque*  
*forma: ut ne beneficia terrae telluris naturae*  
*impates, sed ei tribuas, qui illam ex nihilo, ut*  
*esset, creavit. Sed haec incidenter. De tene-  
bris, quibus obductam fuisse Moses docet, potius*  
*dipiciendum erit.*

§. XIX.

Ubi tamen nostrum non est, anxie in senten-  
tias ut inquiramus, quales hi uel illi tenebras has fu-  
isse contendant, satis est, Mosen hoc loco Histori-  
cum agere, & idcirco ab omni metaphorica locutio-  
ne a-

ite abhorrere, hinc taceant Marcionitae & Manichaei malas potestates seu cacodaemones per hanc elocutionem intelligentes, tenebrae enim non erant res aliqua creata a Deo, nec defectus tantum, sed negatio lucis in abysslo, sicut silentium non est res, sed negatio pura soni, ubi enim non est sonus, ibi est silentium. Ob opacitatem autem istarum inter se confusarum particularum non aliter fieri potuit, quam quod in ipsa abysslo tenebrae adfuerint.

§. XX.

Objicis uero, non in ipsa abysslo, sed supra abyssum tenebras fuisse Mosen indicare, cum tamen circa abyssum aether jam exstiterit, cuius formale, lucidum sit. Sed responsio superius §. II. data, hic quoque quadrat, aetherem scilicet tum temporis nondum concentratum, sed maxime circa orbem terraqueum dissipatum ac diffusum potentia equidem lucendi praeditum fuisse, sed nondum actu lucem emisisse.

§. XXI.

Neque tantum luce carebat terra haec, sed etiam omni ordine & dispositione, hinc indispositam diximus, quod nomen innuit, seu significat, nulla gavisam fuisse dispositionem. Et quomodo dispositio- nera habere potuit, cum omnia inter se com mixta & confusa tum temporis existerent. Et

B 3

sane

sane meo iudicio uon prius dispositae fuerunt haec  
particulae, quam Spiritus DEI aquis incumbans  
materiam inertem fecit moveri.

§. XXII.

Quae incubatio cum fuerit efficacissima immo-  
tae hactenus terrae motum quoque indidit. Qui  
hic fuit, quo particulae unius speciei hactenus cum  
particulis alterius speciei commixtae cum suis simili-  
bus se jungerent, junctae concretione coalescerent,  
ac formam ad producendas tam innumeras rerum  
species assumerent. Mouerat autem terra ab alio de-  
buit, cum semetipsam moueri incapax fuit, unde eti-  
am principium passuum dicitur.

§. XXIII.

Ast hic iterum enascitur dubium. Spiritum e-  
nim Dei terram mouisse dicitur, cum tamen aethe-  
ris jam tum creati natura fuit, ut alia moueat. Sed  
nec haec sibi contrariantur. Etsi enim aether in na-  
tura constituta principium actuum & omnis motus  
ac lationis causa esse debuit, non ideo tamen ex se  
aptus aut habilis fuit sine praecedente diuina disposi-  
tione inerrem terram in motum impellere. Quid  
quod func. ipse aether nondum suam mouendi uim  
exercuerit, sed immotus steterit, quod singulari De-  
um prouidentia fecisse mihi persuadeo. Nempe ut  
ita ostenderet, se esse illum omnipotentem, qui crea-  
turis uim innatam & dederit, & ne eam exercere  
possint, cohibere ualeat. Dum uero ut simul ita  
mon-

monstrareret, terram hanc esse principium passuum, quod per se, nisi accidente alio principio actiuo moueri non posit.

§. XXIV.

Sed properandum est ad finem, idcirco paucis considerandum adhuc uenit, terram partim post separationem aridam existere, partim omnibus corporibus consistentiam gravitatemque exhibere. Aridam esse terram & disgregatam ab aquis secundum alias sui partes *vers. 1. & 10. cap. 1. Gen.* clare ostendunt. Et certe factum est illud propter necessitatem finis, scilicet habitationem animalium. Et sic terra *vers. 1.* generaliter sumpta jam est in species diuisa, cum particulae aquosae segregabantur ab illis siccioribus. Dum uero dicitur, segregationem Deum instituisse, quid hoc aliud importat, quam unum alteri unitum prius fuisse, cum nihil segregari possit ab alio, nisi quod prius eidem adhaeserit, uel cum eo conjunctum fuerit. Jam ergo sequitur, quod iterum contra Hellmontium est, aquas, non esse à Deo ita fluentes, ut hodie existunt, creatas, sed terrae permistas, & terram non esse aquam condensatam, sed corpus primum genium, ut pote à quo aqua segregari potuerit.

§. XXV.

Vltimo denique uideamus terram hanc jam separatam principium primum esse omnium corporum iisdemque consistentiam ac grauitatem exhibere. Verum hoc quoad prius esse, *vers. 11. & 12. cap. 1. Gen.* fatis ostendunt, nec opus propterea est ulteriori deductione. Sed nec de posteriori, quod terra consistentiam

tiam corporibus tribuat, est dubium, nam quid est  
consistentia, est rerum subsistentia sine fluxu. Dum  
ergo particulas fluentes terra post separationem arida  
in ipsa separatione depositus, consistens ea evasit, &  
jam corporibus naturalibus consistentiam confert.  
Quam ob consistentiam perro tanquam ex structura  
partium crassa est & commota aut sursum leuata ad  
suum descendit centrum, & grauis dicitur,

§. XXVI.

Ad extremum, cum probe perspectum habeamus,  
quantopere summi & maximi uiri in hoc argu-  
mento non modo a se inuicem, sed nonnunquam a  
se ipsis disideant, & quam uexata sit materia, hinc  
haec non ut Epicurei suas ratas sententias, aut ut Sto-  
ci sua decreta ponimus, sed ut problemata  
proponimus uberiori disquisitione  
longe dignissima.

F I N I S.




00 A 6436

ULB Halle  
004 931 300


3



KD 18



# Farbkarte #13



B.I.G.

PHYSICA 34 798.

E

MO  
TIONIS  
ERE,  
AM

MICENTISSIMO  
CO AVGVSTO,  
ELECT. SAX. HAERDE  
c. &c.

VLTV  
CVLTATIS PHILO-  
ICAE

ALBIM ACADEMIA  
BR. ANNO cl. lcc viii.

AMINI SVBMITTIT  
ESES

HOFMANNVS,  
A-SAXO,

IDENTE

ERMANNO, Torgav.  
AC J. U. STVD.

ERIS MEYERIANIS.